



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dispvatio VI. De Differentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

DISPUTATIO SEXTA

De Differentia.

DVBIVM I.

Quid Differentia in Genere, & quomodo dividatur.

RESOLUTIO I.

DCXVI. **D**ico 1^o. Differentia in Genere est forma, quâ unum ab alio, vel à se ipso differt.

DCXVII. Dixi ab alio, vel à se ipso, putà, vel positive, nam Belga per formam positivam, scilicet albedinem, ab Æthiope habente nigredinem differt: vel negative, nam per formam negativam, non agens à se ipso agente differt.

RESOLUTIO II.

DCXVIII. **D**ico 2^o. Differentia in Genere, dividitur in communem, propriam & propriissimam. Cōmunis est Differentia secundum formam accidentalem contingentem: sic paries albus à nigro differt. Propria est Differentia secundum formam accidentalem propriam & connaturalem: sic homo risibilis ab æquo hinnibili differt. Propriissima est Differentia secundum formam specificam: sic homo per rationale à bruto irrationali differt. Per hanc duo per se differunt, & sunt aliud & aliud: per duas 1^{as}, non nisi per accidens, & sunt alterum & alterum.

DCXIX. Adde 1^o. officia Differentiæ propriissimæ quatuor præcipua numerari; scilicet dividere Genus; constituere Speciem; de Specie prædicari; unius Speciei Individua ab alterius Speciei Individuis essentialiter distinguere. Vnde dicitur divisa Generis, constitutiva speciei, de Specie prædicabilis, & distinctiva unius Speciei Individuorum ab Individuis alterius Speciei.

DCXX. Adde 2^o. Pleraque Differentias propriissimas nominibus negativis, defectu positivorum exprimi: ut irrationale, inanimatum, &c. supponi tamen pro realibus & positivis: facit enim sæpenumero penuria vocabulorum, ut positiva explicemus per negationem.

DVBIVM II.

*Quenam sit definitio essentialis Differentiæ
3^a. prædicabilis, & respectu quorum
sit 3^{um}. prædicabile.*

DCXXI. **A**ntè Resolutionem Suppono, Porphyrium hic Differentiam prædicabilem definire, Id, quod prædicatur de multis differentibus Specie in quale quid. Verum, præterquam quod hæc definitio tradatur per prædicari actu, quod est accidentale Differentiæ, non secus ac visui actu videre, non convenit Differentiæ atomæ, quæ de solo numero differentibus prædicatur in quale quid. Vnde dicendum ly differentibus Specie, addi explicationis gratiâ, hæcque sola, ut summum, verba esse definitioni essentialia, Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, sicque definitio Differentiæ conveniet Differentiæ atomæ & aliis. Verum pro clariori & præmissis conformiori definitione, sit

ferentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, sicque definitio Differentiæ conveniet Differentiæ atomæ & aliis. Verum pro clariori & præmissis conformiori definitione, sit

RESOLUTIO I.

DCXXII. **D**ico 1^o. Differentia est unum, &c. aptum prædicari, de multis ut pars formalis essentiæ Universalis. Per Genus definiti excludit Individuum. Per ly ut pars formalis Genus, per ly essentiæ, Proprium & Accidens: per ly Universalis Speciem. Pro quorum clariori intelligentia, vide dicta suprà de Genere & Specie. Indè autem

DCXXIII. Colliges, cur Differentia Generica, quæ de multis Specie differentibus in quale quid; & Specifica, quæ tantum de multis solo numero differentibus dicuntur; non constituant duo diversa prædicabilia, sicut Genus & Species: hujus enim ratio est, quia utraque de suis inferioribus eodem modo prædicatur, scilicet in quid ut pars formalis essentiæ Universalis; nec prædicari de Specie vel numero differentibus, diversificare potest prædicabilia essentialiter, ut Disp. 3^a. de Genere dub. 1^o. vidimus. Vnde dic allatas definitiones, Differentias genericam & specificam non diversificare in ratione Differentiæ, sed in ratione genericæ & specificæ; nam Differentiæ, quibus Differentia ad genericam & specificam contrahitur, Differentiam non dividunt in duas diversas Species; sed unam eandemque in duo Accidentia Specie diversa, prout dividitur homo in album & nigrum, ut consideranti patebit.

RESOLUTIO II.

DCXXIV. **D**ico 2^o. Differentia non est 3^{um}, prædicabile respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti: Ita PP. Ioan. à S^{to}. Thoma. Complut. nostri Log. Disp. 7. & alii contra Cajet. Sotum & Tolet.

DCXXV. Probat P. Comptonus Log. Disp. 36. Sect. 2^a. Quia conceptus Universalis formaliter, est conceptus superioris formaliter; sed respectus Speciei non est aliquid superius, sed tantum æquale, ergo &c. Ita ferè omnes alii, nominatim PP. Complut. & Ioann. à S. Thoma.

DCXXVI. Contrà: ista probatio mihi omnino nulla est; quia (quidquid sentiam, conceptum Universalis, semper respectu aliquorum, esse conceptum superioris) si per duos conceptus semel homo à Petro & Paulo abstrahatur, & semel à Caio & Titio, & postea rationale ab istis duobus hominibus abstractis abstrahatur, respectu illorum erit Universalis, non tamen superius, ut patet, magis quàm si ab uno istorum abstrahatur respectu unius sit superius. In eundem errorem incidunt alii, qui ad Universalis requirunt ordinem unius superioris ad multa inferiora. Quare aliter

DCXXVII. Probatur, quia quod est 3^{um}, prædicabile debet esse unum & multa ut multa, sed rationale

fonale respectu Speciei, hominis v. g. sensitivum respectu Generis, animalis v. g. non est unum & multa ut multa, ergo, &c. Probatur minor, quia Species & Genus simpliciter accepta, sunt plura Individua concepta per modum unius, ut sæpe dictum est, ergo, &c.

DCXXVII. Obijcies tamen 1^o. Differentia est 3^{um}. prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Differentia, sed est Differentia respectu Speciei vel Generis simpliciter sumpti, ergo &c. Probatur minor quia si specifica, Speciem constituit & distinguit à quolibet alio; si generica, Genus constituit & distinguit à quolibet alio, ergo, &c.

DCXXIX. Respondeo distinguendo majorem. Differentia est 3^{um}. prædicabile respectu ejus, respectu cujus est Differentia prædicabilis, concedo majorem: respectu ejus, respectu cujus est Differentia Metaphysica, id est constitutiva & distinctiva, nego majorem: quia illa ut talis, cum etiam ut talis in Individuis reperiatur, non potest esse Universalis.

DCXXX. Obijcies 2^o. proprium est Differentiæ ut est 3^{um}. prædicabile prædicari in quale quid de multis; sed id habere non potest respectu Individuorum, ergo id habet respectu Speciei, vel Generis.

DCXXXI. Respondeo negando majorem: non enim est proprium tertii prædicabilis prædicari in quale quid; sed ut summum, esse aptum prædicari in quale quid; nam prædicari in quale quid, est prædicari essentialiter respectu unius partis, & accidentaliter respectu alterius partis ejus, de quo prædicatur; non potest autem esse aptum prædicari accidentaliter respectu unius partis, nisi sumptum in abstracto; in abstracto verò non prædicatur, ut sæpe dictum est: si tamen intelligatur major, de prædicari aptitudine & non actu, illà transire permissa, (de quo infra) respondeo negando minorem; nam illa diversa prædicari includunt duas partes, unam genericam respectu cujus Differentia specifica apta est prædicari in quale; & aliam specificam, respectu cujus Differentia apta est prædicari in quid; imò respectu Individuorum tantum, id potest; quia illa sola sunt multa ut multa, ut vidimus.

RESOLUTIO III.

DCXXXII. Dico 3^o. Differentia est 3^{um}. prædicabile respectu Speciei, vel Generis personaliter sumpti. Ita Authores communiter.

DCXXXIII. Probatur, quia Differentia respectu Speciei, vel Generis personaliter sumpti, est unum sub 1^a. intentione formali differentificante, & multa ut multa à parte rei; sed ad 3^{um}. prædicabile nihil aliud requiritur, ergo, &c. Major patet, pro 1^a. parte: probatur pro 2^a, quia species vel Genus personaliter sumptum, nihil aliud est, quàm multa individua concepta secundum ea, quæ habent ante intellectum, quomodo sunt multa ut multa à parte rei, ergo, &c. Hinc

DCXXXIV. Collige, rationalitatem respectu hominis simpliciter sumpti (& sic de aliis) non magis esse Universalem, quàm unum sub conceptu respectu unius sub conceptu ut talis; nam homo simpliciter sumptus non est multa ut multa; sed multa ut unum sub conceptu, sive multa concepta per modum unius; secus tamen respectu hominis personaliter sumpti, propter oppositam rationem.

DVBIVM III.

An Differentia sit 3^{um}. prædicabile, sumpta in abstracto, an in concreto.

DCXXV. Antè Resolutionem Suppono, Dubium procedere de definito quod & accidentali, in definitione Differentiæ, ut v. g. de rationali, an ut rationale; an ut rationalitas, sit 3^{um}. prædicabile. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO I.

DCXXVI. Dico 1^o. Differentia ut sic sumpta, non potest esse 3^{um}. prædicabile in concreto. Est Eximii P.M.N. Bachonis Disp. 3. cit.

DCXXVII. Probatur, quia in concreto non est apta prædicari de multis, ut pars formalis essentiae Universalis eorum, de quibus apta est prædicari ut Differentia; sed 3^{um}. prædicabile debet esse tale, ergo, &c. Probatur major: quia sicut in concreto, non est pars formalis essentiae Universalis eorum, sed ipsamet essentia eorum singularis; ita nec in concreto est apta prædicari de multis, &c. ergo &c.

DCXXVIII. Confirmatur, rationale v. g. in concreto importat ea omnia confusè, de quibus aptum est prædicari; sed illa non sunt apta prædicari de seipsis; ut pars formalis essentiae suæ Universalis, sed ut eadem secum, ut æqualia sibi ipsis, &c. ac proinde, ut tota essentia singularis, ergo, &c.

DCXXXIX. Pro solutione objectionum, vide Disp. 3^a. Dub. 2^{um}.

RESOLUTIO II.

DCXL. Dico 2^o. Differentia ut sic sumpta est 3^{um}. prædicabile in abstracto.

DCXLI. Probatur: rationale v. g. aliquo sensu est 3^{um}. prædicabile; non in concreto, ut Resol. 1^a. vidimus; & alioqui omnia prædicabilia essent eodem modo prædicabilia, scilicet ut æquale de æquali; ergo in abstracto.

DCXLII. Confirmatur: rationalitas v. g. est unum aptum, &c. affirmari de Petro & Paulo ut pars formalis essentiae Universalis eorum; ergo & 3^{um}. prædicabile. Consequentia tenet à definitione: probatur major, Objectionum Solutione, pro qua vide Dubium 2^{um}. Resolutione 1^a. citatum.

DVBIVM IV.

An Differentia sit perfectior Genere.

DCXLIII. Antè Resolutionem Suppono, Dubium procedere de definito quod & accidentali in definitione Differentiæ, idque juxta triplicem ejus considerationem, v. g. an sit perfectior Genere, ex modo prædicandi: an in genere entis Metaphysici materialiter & obiectivè sumpti: an in Genere entis Metaphysici formaliter, & ut sub conceptu sumpti. Pro quo sit

RESOLUTIO I.

DCXLIV. Dico 1^o. contra P. Ovidum, & alios communiter. Differentia ex parte modi prædicandi est perfectior Genere ut Genere. Probatur: perfectio modi prædicandi sequitur modum se habendi ad essentiam Universalem Individuorum; sed modus, quo se habet Differentia ad

essen-

essentiam Vniuersalem Individuorum, est perfectior modo, quo se habet Genus ad eandem, ergo, &c. Probatur minor, quia Differentia se habet ut forma, ut determinativa & perfectiva Generis; Genus verò ut materia, ut determinabile, perfectibile, &c. juxta illud D. Thomæ. 1^a. p. q. 50. art. 4. ad 1^{um}: *Discendum ergo quod Differentia est nobilior Genere, sicut determinatum indeterminato, &c.* Et de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 9^{um} Illud, quod constituit in Specie, est nobilior eo, quod constituit in Genere, sicut determinatum indeterminato. Sed hic modus se habendi ad essentiam Vniuersalem Individuorum est imperfectior, ut vel ipsum lumen naturæ docet, ergo, &c. Probatur major, quia ideo Species apta est prædicari ut tota essentia, quia se habet ad Individua ut tota essentia Vniuersalis eorum. Item ideo Genus aptum est prædicari ut pars materialis, quia ad dictam essentiam se habet ut pars materialis, ergo &c.

DCXLV. Obicies tamen 1^o. Genus se habet ad essentiam Vniuersalem Individuorum, ut includens omnes gradus se superiores, Differentia ut nullo ex superioribus includens, ergo modus, quo se habet Genus ad essentiam Vniuersalem Individuorum, est perfectior modo, quo se habet Differentia ad eandem; ac per consequens, Genus ex parte modi prædicandi, est perfectius Differentia.

DCXLVI. Respondeo distinguendo antecedens: Genus ut Genus formaliter, se habet ad essentiam Vniuersalem Individuorum ut includens, &c. nego antecedens; quia ad Genus ut Genus formaliter, satis est, si sit pars determinabilis, perfectibilis, &c. nam in communi sententia parum refert, an in definitione sit Genus supremum cum Differentia atoma, quomodo Genus pauciores gradus includit, quam Differentia, de quo nos dubio sequenti: Genus ut tale Genus, id est, ut infimum v.g. faciens definitionem cum Differentia atoma præcisissimè sumpta, includit omnes gradus, &c. concedo antecedens; sed inde nihil contra nos; quia id non habet ex ratione Generis, neque ex ratione se habendi ad essentiam Vniuersalem Individuorum, sed potius ex modo se habendi ad Differentiam Vniuersalem coru, supplere debens, quod in ipsa deficit.

DCXLVII. Obicies 2^o. Genus prædicatur in quid per modum per se stantis, Differentia in quale per modum adjacentis; sed sicut perfectius est, per se stare, quam adiacere; ita perfectius est prædicari per modum per se stantis, quam prædicari per modum adjacentis: ergo, &c.

DCXLVIII. Respondeo negando maiorem, pro qua vide Disp. 3^a. de Genere. Dub. 1^{um}. Prædicari enim in quid, est prædicari essentialiter, prædicari verò in quale, est prædicari accidentaliter; Differentia autem non minus est apta prædicari in quid, quam Genus. Vnde Aristoteles 4^o. Metaph. c. 3^o. dicit simpliciter, *Differentiam prædicari in quid.* 1^o. Posterior: Text. 21. utramq; definitionis partem, (scilicet Genus & Differentiam) quidditative prædicari. Deinde Genus, imò etiam Species, non minus aptum est prædicari in quale, quam Differentia: nam Aristoteles cap. de subst. & 7^o. Metaph. Text. 48. dicit: *Genera, Species & Vniuersim, quæ prædicantur Vniuersaliter, non significare quid (puta tantum) sed quale.* Et ratio esse potest; quia, sicut rationale aptum est prædicari in quale, eo quod non sit de essetia alterius partis ejus, de quo ut toto, aptum est prædicari; ita cætera Vniuersalia, & nominatim Genus & Species (de quibus tantum potest esse difficultas) sunt apta prædi-

cari in quale, quia non sunt de essetia alterius partis ejus de quo apta sunt prædicari: Genus enim, v.g. animal, ita aptum est de Petro prædicari, ut non sit de essetia rationalitatis aut Petreitis contentorum in Petro; Species verò v.g. homo, de Petro etiam, ita est apta prædicari, ut non sit de essetia Petreitis. Hinc

DCXLIX. Colliges, non esse proprium Differentiæ, esse aptum prædicari de multis in quale quid, sed etiam Generi & Speciei convenire: nam interroganti quale quid est homo? rectè respondetur, est animal: item quale quid est Petrus? rectè respondetur est homo: quia hujus interrogationis quale quid est homo? hic est sensus; *quidnam de homine prædicatur essentialiter & accidentaliter*; ad quod rectè respondetur, animal. Idem dic proportionaliter de hac interrogatione, quale quid est Petrus?

RESOLUTIO II.

DCL. Dico 2^o. Differentia in genere entis Metaphysici objectivè & materialiter, non est perfectior, nec imperfectior Genere; sed æqualis. Probatur; quia Differentia ut sic, non distinguitur materialiter & objectivè à Genere; nec è contrà Genus à Differentia, ergo, &c. Antecedens patet; quia, ex suprà probatis, gradus Metaphysici sunt intrinsecè & objectivè indivisibiliter idè, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

DCLI. Dico 3^o. contra PP. Nostros Complut. Arriagam hic, Oviedum & plures alios, Differentia in Genere entis Metaphysici formaliter, & secundum modum suum essendi sub conceptu, est imperfectior Genere.

DCLII. Probatur: quia Differentia ut sic, nullum gradum è superioribus, imò ne quidem ens includit; Genus verò includit gradus omnes se superiores, etiam ens, ergo ut sic est imperfectior Genere: consequentia patet; quia sicut ens perfectius est, quam non ens; ita à fortiori perfectius est Genus, quam Differentia.

DCLIII. Probatur antecedens pro 1^a. parte: quia ut sic, ita sumitur, ut sit tantum & præcisè Differentia Speciei constitutiva & distinctiva illius à quolibet, ad quod non requiritur ut includat ens, pro ut à simili constat, ex dictis Disp. 5. Dub. 2^o. de hæccitate propriissimè sumpta.

DCLIV. Probatur antecedens pro 2^a. parte: quia non possum concipere animal, nisi concipiam vivens sensitivum; nec vivens, nisi concipiam gradus superiores, & sic de aliis, ergo, &c.

DCLV. Obicies tamen 1^o. cum P. Oviedo in Genere entis forma est nobilior materiâ, determinativè nobilior determinabili; sed Differentia se habet ut forma, & ut determinativa, Genus ut materia, & ut determinabile, ergo in Genere entis, Differentia est perfectior Genere. Ita fere PP. Complut. ex D. Thoma num. 66. citato.

DCLVI. Respondeo distinguendo maiorem: in Genere entis Physici, & ex conceptu formæ in Genere, forma est nobilior materiâ acceptâ in Genere entis Physici, & secundum cōceptum materiæ in Genere, concedo maiorem: nec mirum, quia materia ut sic præcisè, dicit imperfectionem, & perfectibilitatem subjectivam, forma verò ut sic præcisè perfectionem & perfectivitatem informativam: in Genere entis Metaphysici formaliter, & secundum modum essendi sub conceptu, nego maiorem; nam quan-

quantumvis Genus formaliter & ut sub conceptu Generis, secundum modum se habendi ad essentiam Vniuersalem Individuorum, dicat perfectibilitatem & determinabilitatem; eam tamen non dicit secundum modum essendi; sed præcisè perfectiones positivas, quas includit, ut substantiæ, entis, &c. Differentia verò, si sumatur formaliter & ut sub conceptu Differentiæ Metaphysicæ, dicit quidem perfectivitatem secundum modum se habendi ad dictam essentiam, nullam tamen dicit perfectionem positivam secundum modum essendi, quia secundum illum ne quidem ens includit, prout suprà diximus. Hinc

DCLVII. Colliges, differentiam in Genere entis Metaphysici, absolute dicendam imperfectiorem Genere; quia absolute perfectius est, esse perfectibile secundum modum se habendi ad dictam essentiam, & dicere perfectiones positivas substantiæ, entis, &c. quam esse sine ulla perfectione positiva secundum modum essendi, modo quodam intellectu & præcisivo, perfectivum secundum modum se habendi ad essentiam, &c.

DCLVIII. Obijcies 2^o. cum P. Atriaga, quo magis aliquid recedit à nudo conceptu entis, eo perfectius est; sed Differentiæ magis recedunt à nudo conceptu entis, quam Genus, quod dividunt; ergò sunt in Genere entis seu Metaphysicè perfectiores Genere.

DCLIX. Respondeo distinguendo maiorem: quo magis aliquid recedit à nudo conceptu entis per rectam lineam prædicamentalem, eo perfectius est, concedo maiorem: per indirectam, nego maiorem. Genera autè & Species recedunt per rectam lineam, Differentiæ per indirectam; unde fit, quòd sint imperfectiores Genere, & non includant, ut sub conceptu Differentiæ, gradus superiores, prout dubio sequenti dicitur; licet eos includant ex parte objecti; quia sicut ex parte illius omnes gradus sunt ens, & è contra, ens omnes gradus, (nam non datur in re simplici nisi unus gradus objectivè indivisibilis ut Tract. 1. Disp. 2. fusè probatum est) non datur maior recessus unius, quam alterius gradus ex parte objecti, à nudo conceptu entis.

DCLX. Obijcies 3^o. Differentia secundum modum se habendi ad essentiam Vniuersalem Individuorum est perfectior Genere juxta Resol. 1^{am}; ergò & secundum modum suum essendi sub conceptu. Probatur consequentia, quia modus se habendi ad dictam essentiam, sequitur modum essendi sub conceptu, ergò, &c.

DCLXI. Respondeo negando consequentiam: ad ejus probationem, nego assumptum, nam modus se habendi ad dictam essentiam, sumitur ab analogia sive similitudine ad materiam vel formam, vel ad conflatum ex utraque; si enim prædicatum se habeat ad essentiam Vniuersalem Individuorum, ut se habet materia ad essentiam Physicam eorum, dicitur se habere ut determinabile & ut Genus; si verò, ut se habet forma, dicitur se habere ut determinativum & ut Differentia; si ut conflatum ex utraq; dicitur tota essentia & Species: determinativum autem in Genere est (ut dictum est) perfectius determinabili in Genere; ac per consequens Differentia secundum modum prædicandi est perfectior Genere propter perfectiorem modum se habendi, &c. modus autem essendi sub conceptu sumitur à prædicatis intrinsicis ipsius talis entis, diciturq; illud habere nobiliorem modum essendi, quod includit plura & perfectiora prædicata essentialia, ut constat ex Specie comparata ad Genus; non autem dicitur habere perfectiorem modum se habendi ad es-

sentiam Vniuersalem Individuorum, illud quod plura & perfectiora prædicata includit; alioqui modus animalis se habendi ad essentiam Vniuersalem Petri v.g. esset perfectior modo, quò se habet substantia ad illam; cum tamen hæc, utpotè determinabilior animalis, dicat maiorem analogiam & similitudinem (à qua sumitur perfectio modi se habendi ad essentiam, &c.) cum materia, quam animal.

DVBIVM V.

An Genus in suo conceptu formali includat Differentias inferiores: vel è contra an inferiores includant Genus. Item an Differentia Superior inferiores: vel è contra Inferior includat Superiores.

Ante Resolutionem
DCLXII. A Suppono, Dubium non procedere de Genere aut Differentia materialiter, pro eo quod dicunt in recto, vel objectivè pro eo quod dicunt ex parte objecti, quia certum est Genus ut sic, includere Differentias inferiores & è contra; item Differentias superiores ut sic includere inferiores, & è contra; sed dubium procedit de Genere aut Differentia formaliter pro eo, quod dicunt in obliquo, & prout se tenent ex parte actus Genus ut Genus, Differentiam ut Differentiam considerantis, ut sit sensus; an animalitas in suo conceptu formali includat rationalitatem & irrationalitatem, vel è contra; an rationalitas & irrationalitas animalitatem: item an sensitivitas includat rationalitatem & irrationalitatem, vel è contra, rationalitas & irrationalitas sensitivitatem, aut vitam, aut materialitatem: hoc supposito, fit

RESOLUTIO I.

DCLXIII. Dico 1^o. Genus non includit in suo conceptu formali sive formaliter Differentias inferiores, per quas contrahitur & dividitur; ita Philosophi communiter.

DCLXIV. Probatur 1^o. quia duo opposita in conceptu formali unius rei nequeunt includi: sed duæ differentiæ inferiores, per quas Genus contrahitur & dividitur, sunt oppositæ, saltem quoad prædicationem, ergò, &c. Major est Aristotelis 7^o. Metaph. Text. 42^o. probatur minor, quia rationalitas v. g. affirmari non potest de irrationalitate, nec è contra, sicut nec homo de bruto, vel è contra, ergò, &c.

DCLXV. Probatur 2^o. quia alioqui Genus, ut consideranti patebit, non esset Genus; sed plures Species, non totum potentiale respectu Speciei, sed totum actuale, contra rationem, & Arist. 2^o. Post. c. 8. ubi ait: *Supponatur tale esse Genus; ut sit secundum potentiam in pluribus. Quod sequitur. D. Thom. pluribus locis & nominatim lect. 13. & Opusc. 42. c. 9. ergò, &c.*

DCLXVI. Probatur 3^o. quia alioqui in definitione hominis v. g. rationalitas bis poneretur, semel explicitè, semel implicitè in animalitate seu Genere, sed hoc est nugatorium, ut vel ipse Aristoteles conclusionè 2^a. citandus notavit, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

DCLXVII. Dico 2^o. Differentia non includit in suo conceptu formali Genus, quòd contrahit, & dividit: ita celebres Thomistæ & alii communiter, contra Sonam. 7. Metaph. q. 37.

DCLXVIII. Probatur 1^o. quia hoc ipso, quòd Differentiæ includerent formaliter Genus, Genus non esset Genus, ergò, &c. Consequentia patet, probatur antecedens

tecedens ex Aristotele 3^o. Metaph. Textu 10^o. ubi probat ens, non esse Genus, quia includitur in suis Differentiis, ergo, &c.

DCLXX. Probatur 2^o. ex eodem Aristotele 4^o. Topic. cap. 1^o. ubi sic habet, *Manifestum igitur, quoniam non participat Genus Differentia*. ergo, &c.

DCLXXI. Probatur 3^o. si Genus esset de conceptu formali Differentiarum, duplici ratione conveniret Speciebus, id est, bis poneretur in Specierum definitione, ut v.g. in Definitione hominis bis poneretur animal, semel expresse & ratione sui, & semel implicite ratione Differentiae, in qua includeretur formaliter, & sic haec formalis definitio hominis, *animalitas rationalitas*, esset nugatoria, non secus ac haec, *animalitas sensitivitas, rationalitas*, ergo, &c.

DCLXXII. Confirmatur, Differentia, rationalitas v.g. debet sumi ut est praecise principium hominis disconveniendi cum bruto: ergo non includit in suo conceptu formali Genus. Consequentia patet; quia secundum illud, esset principium conveniendi: probatur antecedens, quia praeterquam quod ille sit essentialis conceptus Differentiae, Differentia sumi debet pro eo praecise quod compositum supra Genus includit; quod, ut patet, debet esse praecise principium disconveniendi, ergo, &c.

DCLXXIII. Obijcies tamen: Species Universalis, uti est Differentia, includit in suo conceptu formali Universale; sed Universale est Genus respectu Differentiae, ergo Differentia includit formaliter Genus.

DCLXXIV. Respondeo concessa maiore intellecta de Differentia praedicabili, distinguendo minorem: sed Universale est Genus respectu Differentiae 3^o. praedicabilis, de qua hic non est quaestio, concedo minorem: respectu Differentiae Metaphysicae, sive Speciei constitutivae, de qua hic agimus, nego minorem; quia haec, ut summum est denominativum Universalis, idque per respectum ad individua; & non vero per respectum ad Speciem simpliciter sumptam, qua constituit, & respectu cuius est Differentia Metaphysica.

DCLXXV. Instabis rationale est formaliter substantia, ergo, Differentia inferior includit in suo conceptu formali Genus. Consequentia patet, quia substantia est Genus, probatur antecedens, quia alioqui esset accidens vel nihil, quorum utrumque est falsum, ergo, &c.

DCLXXVI. Respondeo distinguendo antecedens: rationale materialiter & objective est formaliter substantia, concedo antecedens: formaliter & ut sub conceptu, nego antecedens: nam ut sic dicit tantum esse Differentiam constitutivam hominis, abstrahendo, an sit substantia, an accidens, vel nihil.

DCLXXVII. Urgebis: membra dividentia debent includere, sive participare rationem divisi; sed Differentia inferior est talis respectu Generis, ergo, &c.

DCLXXVIII. Respondeo distinguendo maiorem: membra dividentia, in qua fit divisio, ut homo & brutum respectu animalis, debent includere rationem divisi, concedo maiorem: membra dividentia per qua fit divisio, ut rationalitas & irrationalitas, nego maiorem, ob rationes supra allatas.

RESOLUTIO III.

DCLXXVIII. Dico 3^o. Differentia superior includit in suo conceptu formali Differentias inferiores, ut v.g. sensitivitas rationalitate & irrationalitate. Haec Conclusio patet ex Resol. 1^a.

RESOLUTIO IV.

DCLXXIX. Dico 4^o. Differentia inferior non includit in suo conceptu formali Differen-

tias superiores. Haec Conclusio patet ex Resol. 2^a. Quia tamen nonnullae rationes videntur id insinuare.

DCLXXX. Obijcies 1^o. sensitivum est formaliter vivens, ergo Differentia inferior includit formaliter superiorem: probatur antecedens; sentire est formaliter vivere; seu sensatio formaliter, est quidam actus vitalis, ergo sensitivum est formaliter vivens.

DCLXXXI. Respondent, qui praecisiones objectivas admittunt, distinguendo antecedens: sensitivum adaequate & complete sumptum pro essentia suo modo specifica in ordine Differentiarum, sive composita ex duobus se habentibus per modum Generis & Differentiae, est formaliter vivens, concedunt antecedens: inadaequate & incomplete sumptum pro principio differendi vel pro ipsa Differentia constitutiva ipsius sensitivi complete sumpti, negant antecedens. Verum haec responsio videtur difficilis. Velenim illud sensitivum complete sumptum distinguitur objective a vivente ut est Genus animalis, vel no?

DCLXXXII. Si prius, cum ut complete sumptum includat vivens, vel vivens bis ponetur in formali definitione animalis; qua definitur vita sensitivitas, vel sensitivum debet confundi cum ipso animali, ut potest aeque compositum, quorum utrumque est absurdum.

DCLXXXIII. Dices ex R.P. Comptono Log. Disp. 36. sect. 4. sensitivum (puta in abstracto) complete sumptum non poni in definitione animalis, sed incomplete sumptum dumtaxat, ergo, &c.

DCLXXXIV. Resp. negando assumptum 1^o. quia talitas illa viventis ex parte objecti quoddam vivens esse debet, haud secus quam talitas entis, ut perfectas v.g. ex parte objecti quoddam ens est; alioqui ex parte objecti daretur medium positivum inter ens ex parte objecti, & non ens ex parte objecti; quod est impossibile; si vero dari possit medium positivum inter ens & non ens ex parte objecti, dari poterit realiter & a parte rei, quia quae objective sive ex parte objecti distinguuntur intrinsece, etiam realiter distinguuntur, ut probavimus supra Tract. 2^o. Disp. 2^a. Dub. 5^o. contra Thomistas & Scotistas: nullus autem admiserit tale medium positivum realiter a parte rei, inter ens & non ens considerata realiter & a parte rei: de quo ex professo in Metaph. Disp. 2^a. Deinde, sicuti per te, sensitivum est talitas viventis, sic ut ex parte objecti, nec sit vivens, nec non vivens, ita vivens, sic est talitas corporis completi, ut nec sit corpus, nec non corpus completum: corporeitas sic est talitas substantiae, ut nec sit substantia, nec non substantia: perfectas sic est talitas entis, ut nec sit ens, nec non ens. Igitur homo, sic ex illis conflatur & componitur, ut, ex parte sua & objecti, nec sit vivens, nec corpus completum, nec substantia, nec ens, &c. nec proinde, contra Aristotelem 6^o. Topic. cap. 3^o. & Lib. 2^o. post. cap. 14. homo recte definitur per Genus supremum & Differentias intermedias; vel dicendum, hominem ex parte objecti includere triplicis Generis vivens, puta vivens simpliciter prout homo est vivens simpliciter; vivens tale quatenus homo includit sensitivitatem, quae est talitas viventis; & iterum vivens tale generalius, quatenus homo includit Differentiam, qua vivens contrahit corpus completum ad hominem, quod est multiplicare entia magna cum superfluitate, & definitiones entium praedicamentali, omnino confundere, ut patet.

DCLXXXV. Si posterius, ergo gradus Metaphysici non distinguuntur objective, quod negat. quare aliter
DCLXXXVI. Respondeo distinguendo antecedens: sensitivum (puta in abstracto) ex parte objecti est formaliter

maliter seu essentialiter vivens, concedo antecedens: ex parte actus, *sensitivum* ut Differentiam animalis considerantis, nego antecedens. Ad ejus probationem similiter distinguo antecedens: sentire ex parte objecti est formaliter vivere, concedo antecedens: ex parte actus considerantis illud, ut Differentiam præcisè sentientis suprà vivens, nego antecedens. Horum ratio est; quia, secundum nos, qui præcisiones objectivas non admittimus, Genus & Differentia extrinsecè tantum distinguuntur; nec compositio Metaphysica est secundum partes intrinsecas, sed secundum extrinsecas, sive extrinsecè tantum per conceptum distinctas; undè conceptus ea, quæ sunt objectivè eadem, sub hac vel illa ratione, quâ præcisè inter se distinguuntur, considerare potest.

DCLXXXVI. Instabis: juxta hanc distinctionem, Differentiæ non magis erunt infimæ quàm Differentiæ subalternæ, contra omnes Philosophos, ergò, &c.

DCLXXXVII. Respondeo, distinguendo assumptum: non magis erunt infimæ, secundum inclusionem, concedo assumptum: secundum quod Genus supremum, vel infimum contrahant, nego assumptum: illud autem non est necessarium, ut dicantur infimæ, & hoc sufficit.

DCLXXXIX. Objicies 2^o. Aristoteles 7^o. Metaph. Text. 48^o de Differentiis multa docet: 1^o. nihil referre sive ultima tantum, sive superiores Differentiæ ponantur in definitione; ergò censet ultimam includere formaliter superiores. 2^o definitionem debere constare Genere proximo & Differentiâ ultimâ, quia hæc includit omnes superiores. 3^o oportere Differentiam dividi in Differentiam: *Fissipedalitas enim quædam pedalitas est, pedes habens includitur in bipede, &c.*

Respondeo ad 1^{um}, hanc esse Aristotelis mentem: nihil refert sive ultima tantum objectivè sumpta, sive superiores Differentiæ ponantur in definitione, quia ex parte objecti non distinguuntur. Hinc constat, Aristotelem non admisisse præcisiones objectivas; nam, illis admissis, multum refert, an ultima Differentia tantum, an superiores Differentiæ ponantur in definitione, ut statim patebit; quia rationale (ut loquuntur) ut Differentia hominis, est tantum talitas sensitivi; sensitivum, ut Differentia animalis, est tantum talitas viventis. Undè potest quidem Differentia ultima cum Genere proximo v. g. rationale cum animali poni in definitione hominis, nullo tamen modo rationale cum Differentiis superioribus: nam rationale cum illis, excluso alio Genere, non sufficit ad definitionem hominis, quia homo in conceptu suo formali non tantum includit talitatem sensitivi, talitatem viventis, &c. sed sensitivum (puta in abstracto, ut suprà monui) simpliciter, & vivens simpliciter: neque rationale cum Differentiis superioribus & Genere proximo (quod in definitione hominis debet adjungi propter rationem datam) potest facere bonam hominis definitionem, quia cum illud Genus proximum sive animal includat omnes istas talitates, idem bis repeteretur in eadem definitione.

DCLXXX. Ad 2^{um}. Resp. hanc esse mentem Aristotelis: definitio debet constare Genere proximo & Differentiâ ultimâ ex parte conceptus illam representantis ut Differentiam ultimam; quia præsuppositivè ex parte Generis proximi includit omnes superiores.

R. P. Francisci Bone Spei Logica

DCLXXXI. Ad 3^{um}, quod difficulter solvent Adversarii; quia errant dicentes Aristotelem loqui de Differentia completè sumpta, cum nec tales Differentiæ dentur, nec ullo sensu ut sic sint Differentiæ; sed Genus ut patet, quod in sententia admittentium præcisiones objectivas non potest esse Differentia constitutiva. Quare aliter

DCLXXXII. Respondeo, Differentias, quæ ex parte actus, reverà sunt Differentiæ formaliter, ab Aristotele sumi materialiter, pro eo quod respondet ex parte objecti; ita scilicet ut nolit, Differentiam superiorem dividi ratione sui; sed ipsum objectum tantum, cui identificatur, pro ut respondet conceptui confuso Generis, quomodo est divisibile, non in Differentias (nam hæc non includunt Genus) sed in Species per Differentias; sic v. g. sensitivum sumptum pro Petro & Paulo (quos importat ex parte objecti) conceptis conceptu Generico, sive ut sunt animal; dividitur per rationale & irrationale in hominem & brutum, qui sunt Differentiæ objectivè sumptæ: nam ex parte objecti (ut sæpè dictum est) Genus, Differentia & cæteri gradus Metaphysici non distinguuntur. Undè ad illas propositiones, *Fissipeditas est quædam peditas, pedes habens includitur in bipede, &c.* Respondeo intelligendas esse ex parte objecti, ut sit hic sensus, vacca v. g. concepta conceptu generico, est quoddam animal; animal includitur in gallina v. g. &c. Nec intelligi possunt ex parte actus, quia ex parte actus fissipeditas, quatenus est Differentia fissos pedes habentis à non fissos pedes habente, non est peditas. Item bipes ut præcisè per bipeditatem differt à quadrupede, non concludit pedes habentes, alioqui non esset purum principium disconvenientiæ, contra dicta suprà. Ex his autem, quæ omnino videntur ex mente. D. Thomæ 7^o. Metaph. Textu 43^o. lect. 12^a. ubi sic loquitur: *Hoc modo hæc Differentia est dividenda habens pedes: scilicet, hujusmodi animalium, aliud est habens pedes scissos, aliud non scissos, &c.*

DCLXXXIII. Colliges 1^o, Differentias formaliter sumptas esse 1^o divisas; quia ne quidem in ratione entis univocè conveniunt, ut probabitur in Metaph. Undè consequenter, dici debent ultimus conceptus rei, & irresolubilis; alioqui non tam essent Differentia, quàm convenientia. 2^o eas nullam pati compositionem ex Genere & Differentia; licet aliundè sint tota essentia Individui, si materialiter sumantur.

D V B I V M V I.

An detur Differentia communis atoma, ac per consequens, Species atoma, sive infima.

DCLXXXIV. Sensus dubii est, an omnis Differentia communis & Species sit per ulteriorem Differentiam communem ad ulteriorem Speciem contrahibilis. Pro quo sit

R E S O L U T I O I.

DCLXXXV. Dico 1^o. datur Differentia communis atoma, nec omnis Differentia communis est per ulteriorem contrahibilis.

DCLXXXVI. Probat, quia rationale v. g. abstractū à Petro & Paulo; sensitivū ab hoc & hoc animali

K

immo

immediate individuato à parte rei est talis Differentia, ergò, &c. Probatur antecedens, quia rationali, ratione hæceitatis, cui in Petro; sensitivo, ratione hæceitatis, cui in hoc animali objective identificatum est, repugnat per ulteriorem Differentiam communem ad ulteriorem Speciem contrahi, ergò, &c. Probatur assumptum, quia sicut ratio communis, ut constat ex dictis, non potest abstrahi, nisi ab iis, quibus identificata est; ita non potest contrahi (puta per affirmationem, quomodo fit omnis contractio) nisi ad illa, quibus identificata est, ergò, &c.

DCLXXXVII. Confirmatur, opposita sententia evertit conceptum Speciei infimæ live atomæ, ac per consequens, Differentiæ atomæ, contra communem Philosophorum Sententiam, sine ullo prorsus fundamento; ut solutione Argumentorum patebit, ergò, &c.

DCLXXXVIII. Objicies 1^o. ideò Porphyrius in definitione Differentiæ Logicæ non addidit *vel numero Differentibus*, quia putavit non dari Differentias atomas, ergò, ex mente ipsius, non dantur.

DCLXXXIX. Respondeo, negando antecedens, quia de mente Porphyrii valde incertum est, hocque solum certum, quòd, an dentur vel non dentur, hic intactum reliquerit: verumtamen, cum Liana, dici potest, id accidisse, quia datâ definitione Differentiæ Genericæ, satis facile erat, specificam seu atomam definire per hoc additum, *vel solo numero Differentibus*.

DCC. Instabis: Cap. de Differentia, expressè dicit Differentiam hominis esse *rationale mortale*; per *rationale*, hominem cum Angelo convenire, & per *mortale*, ab eodem disconvenire; per *rationale*, disconvenire cum bruto, per *mortale*, cum eodem convenire, ergò, &c.

DCCI. Respondeo, ly *mortale* non spectare ad Differentiam essentialem hominis, sed ad accidentalem, & descriptivam; quia ad essentiam hominis, per Accidens est, quòd sit mortalis vel non. Deinde *rationale* Angeli, longè excellentius est, quàm *rationalis* hominis: unde homo per *rationalis*, tantum cum Angelo quoad vocem & æquivocè convenit, non quoad rem significatam per vocem & univocè. Quidquid tamen sit de mente Porphyrii, videtur Differentias atomas agnovisse, cum Cap. ultimo hujus Tract. dixit: *Differentiæ quidem sæpè, in multis speciebus versantur*. Vbi per ly *sæpè* significat, Differentias non semper in multis speciebus versari, sed quandoque in una sola; ac proinde aliquas esse atomas; imò cap. 3^o Speciem atomam definiendo, *Quæ, cum Species sit, in alias Species dividi nequit, Genus esse nequit*, &c. consequenter admittere debet Differentias atomas. Quare

DCCII. Confirmatur conclusio Autoritate Porphyrii statim citati.

DCCIII. Objicies 2^a, si sensitivo & animali possit addi rationale, hinnibile, &c. quibus ulterius ad alias & alias Species contrahuntur. Item, si numero binario v. g. possit addi ulterior & ulterior Differentia essentialis v. g. trinitas, quaternitas, &c. quidni similiter rationali & homini poterunt aliæ & aliæ Differentiæ addi, saltem per Divinam potentiam? in eo enim nulla apparet repugnantia, & videtur paritas: nec est ratio, cur potius dicatur homo absolute Species atomæ, quàm animal, ergò, &c.

DCCIV. Respondeo, soli sensitivo & animali existenti in homine vel bruto posse addi rationale, vel

hinnibile; non verò existenti in hoc animali immediate individuato à parte rei; cur autem illi potius, quàm huic addi possit rationale vel hinnibile, ratio est, quia in homine & bruto nullum est principium repugnantiae; quo minus homo, vel brutum sit sensitivum, animal, &c. imò sensitivum & animal sunt unum & idem objective indivisibiliter, cum eorum hæceitatibus; in hoc verò animali immediate individuato à parte rei, est tale principium repugnantiae, scilicet ipsius hæceitas, vi cuius summe distinguitur ab omni eo, quod non est illi identificatum. Vnde omne animal, præter illud, quod est identificatum huic animali immediate individuato; omne rationale, præter illud, quod est in homine immediate identificatum hæceitati, potest ejusdem rationis existens contrahi per ulteriorem Differentiam, non secus ac sensitivum: nec apparet, cur tale rationale non sit possibile; licet illud, de quo antè, sit omnino impossibile contrahi per ulteriorem Differentiam communem, quod sufficit, ut salvetur Differentia atomæ.

DCCV. Objicies 3^o quòd rationale, quod est in Petro & Paulo de facto existentibus, eorum hæceitatibus identificetur, non magis impedit, ne contrahatur ad ultiores Species, per Differentias ultiores, quàm quòd sensitivum in Petro & Paulo de facto existentibus, eisdem hæceitatibus identificatum contrahatur ad brutum, per irrationalitatem, vel ad alias Species, per alias Differentias, ergò, &c.

DCCVI. Resp. negando antecedens pro utraque parte; quia illa identificatio cum hæceitatibus Petri & Pauli, tam impedit nè sensitivum contrahatur ad alias Species, & ad alia Individua à Petro & Paulo distincta, quàm nè rationale ad alia contrahatur. Peto enim, an gradus substantiæ v. g. in Petro existens, & hæceitati Petri identificatus, possit contrahi ad aliquas Differentias inferiores, quàm sunt illæ, quibus in Petro identificatur, vel non? Si dicas quòd non; aperte sequitur rationale, quod est in Petro, non posse contrahi per aliam Differentiam minus communem ab hæceitate distinctam; quia soli hæceitati Petri infra se in Petro identificatur, ac proinde est Differentia atomæ; & consequenter, si rationale à Petro & Paulo abstrahatur, est Differentia communis atomæ. Si dicas quòd sic, consequenter dicere debes, quòd gradus substantiæ in Petro existens, & hæceitati Petri identificatus, possit contrahi per aliquas alias Differentias inferiores, quàm sint illæ, quibus in Petro identificatur; hoc dato, sic argumentor: contrahatur ille gradus substantiæ ab ubiuitate, sive immensitate participata (supposito quòd illa sit possibilis) erit verum, dicere, (saltem materialiter) gradus substantiæ hæceitati Petri identificatus, est ubique, est immensus, &c. sicut verum est, dicere, gradus substantiæ hæceitati Petri identificatus (saltem materialiter) est rationalis, sensitivus, &c. ergò Petrus est ubique, immensus, &c. sicut verum est dicere, Petrus est rationalis, Petrus est sensitivus, &c. Probatur consequentia, quia quæcumque sunt eadem uni 3^o, sunt eadem inter se, Petrus & ubiuitas sive immensitas essent eadem cum gradu substantiæ Petro identificato, ergò & eadem inter se; ac proinde, Petrus esset ubique, immensus, &c. quod est experientia & rationi absolum.

DCCVII. Deinde ulterius rogo, quomodo fiat contractio naturæ Universalis? vel enim fit per attractionem

tractionem realem Physicam superioris ad inferius, vel per mentalem, sive per prædicationem superioris de inferiori. 1^{um} dici non potest, quia contractio sequitur abstractionem, quæ sic non est realis Physica, sed mentalis, ergo 2^{um} dici debet: quo dato, sic arguuntur: 1^o. Ex concessis, contractio fit per prædicationem mentalem superioris de inferiori, sed ex antè dictis, Tract. 2^o de Universalibus Porphyrianis Disp. 1^a. Dub. 8^o. Quod abstrahitur ab hac albedine tantum, nec disjunctivè, nec copulativè est prædicabile de multis Individuis Physicis: Item natura abstracta per intellectum, ab unico Individuo, non est nisi de uno, illo v. g. à quo abstracta est, prædicabilis. Ergo gradus substantiæ hæccitati Petri identificatus, non est nisi ad Petrum contrahibilis. Probatur consequentia, quia gradus substantiæ hæccitate Petri identificatus, non potest abstrahi nisi à Petro; nam quidquid ab alio à Petro realiter distincto, abstrahetur, non erit Petro identificatum, ergo, &c. Vnde ulterius infero: ergo rationale unum sub conceptu Petro & Paulo tantum à parte rei identificatum, non est prædicabile de alio, quàm de Petro & Paulo, ac proinde nec per alias differentias, quàm per Petreitatem ac Pauleitatem contrahibile; ergo est de facto Differentia communis atomæ, respectu Petri & Pauli. Ex his

DCCVII. Colliges, Resolutionem nostram non probare, nullam prorsus rationem communem, sive genericam, sive specificam posse abstrahi ab Individuis (quod falso nonnullus indè infert) sed solam rationem communem per intellectum de facto soli Petro & Paulo v. g. identificatam realiter, non posse contrahi nisi ad gradus inferiores, quibus Petro & Paulo de facto identificatur.

DCCIX. Instabis, non minùs gradus communes individuorum merè possibilium identificantur hæccitatibus eorundem, quàm individuorum existentium gradus communes identificantur cum ipsorum hæccitatibus; ergo sicut conceditis (inquies) respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulterius abstrahi & contrahi per a-

lias rationes communes; ità id etiam in actualibus fieri oportet.

DCCX. Respondeo, negando consequentiam; concedimus enim, respectu individuorum merè possibilium, rationale posse ulterius abstrahi & contrahi; quia possibile est (ut contendo) Individuum, cujus rationalitas identificetur Differentiæ se inferiori & hæccitati. Vnde mirum non est, si rationale ab illo Individuo possibili possit ulterius abstrahi & contrahi per alias rationes communes: negamus verò respectu Petri & Pauli de facto existentium, rationale realiter illis identificatum, posse ulterius abstrahi & contrahi, quia non est identificatum; imò nec ullo modo identificabile ulteriori Differentiæ communi, sed soli infra se hæccitati Petri & Pauli. Hinc

DCCXI. Colliges, naturam humanam possibilem ejusdem cum nostra rationis, posse contrahi ad superiores & inferiores Species in infinitum: quia non est ratio, cur potius in uno, quàm in alio numero sistatur. Per hoc tamen non tollimus Species, aut Differentias atomas in homine de facto existente, aut animali respectu individuorum immediatè individuorum, ut patet ex præmissis: nam homo, ut de facto in Petro & Paulo existens, vel etiam ut à Petro & Paulo abstractus, neque potest alius identificari, neque per superiores Differentias essentielles ad alias Species contrahi, licet possit ut possibilis, & sub eo ut tali, Petrus & Paulus de facto existentes, sint Genus immediatè individuatum à parte rei; id enim Resolutioni nostræ non obstat.

RESOLUTIO II.

DCCXII. Dico 2^o. datur Species atomæ, nec omnis Species est per ulteriorem Differentiam communem essentialem contrahibilis. Conclusio hæc clara est ex præcedenti, in homine abstracto à Petro & Paulo de facto existentibus, & animali abstracto ab hoc & hoc animali immediatè individuato à parte rei.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Proprio.

DUBIUM I.

Quid Proprium in Genere & quodupliciter accipitur.

RESOLUTIO I.

DCCXIII. Dico 1^o: Proprium in Genere, hic non est Proprium prout improprio opponitur, quomodo propriè dicitur, homo ridet, & improprie, prataridet; sed prout communi opponitur.

RESOLUTIO II.

DCCXIV. Dico 2^o. Proprium prout opponitur communi, quadrupliciter accipitur.

DCCXV. Proprium 1^o modo acceptum, est, Quod

soli cuipiam Speciei accidit, etsi non omni; id est, quod uni tantum Speciei convenit, etsi non omnibus istius Speciei Individuis, ut esse Monachum, Philosophum, &c.

DCCXVI. Proprium 2^o modo, est, Quod omni Speciei accidit, etsi non soli, id est, quod omnibus unius Speciei Individuis convenit, etsi non soli illi Speciei, ut esse progressivum, aptum habere duos pedes tantum, &c.

DCCXVII. Nota hoc Proprium 2^o modo, in rigore potius esse commune multis, quàm Proprium; nisi sumatur comparativè ad ea, quibus præcisè est commune, abstrahendo ab una alia Specie, cui etiam convenit: sic esse aptum habere duos pedes tantum, dicitur esse Proprium 2^o modo homini, comparatione factà ad bovem, asinum, &c. quibus id non convenit, & abstrahendo à gallina, cui id convenit.

DCCXVIII. Proprium 3^o modo, est, Quod soli &

K 2

terti